



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 90. Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi quid feeisti? v. 35.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 90. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi quid fecisti? v. 35.*

Antea non intelligebam vim sermonum inter duos Præsides & Christum habituram. nunc iterum incipio capere, quid loquantur. Pilatus enim interrogans primo. *Tu es Rex Iudaorum?* & alia quaestione Domini, nempe: *Ex te ipso hoc dicis? an alii de me tibi dixerunt* quasi rejectus, iterum quaestione alia Dominum reiecit; *nanquid ego Iudaus sum?* Sed cito à modo illo recessit, & causam quaestionis suae edidit dicens, cur quaesierim, *An res sis* noli mirari vel indignari. causam reatus tui quaero, quia sine reatu neminem damno, ad quod tamen urgeor à tua Gente & Pontificibus, cum ergo in ceteris quae attulerunt accusationibus falsitatem penetraverim in parte, quae est de regno & regio tuo titulo non capio, & volo ut exponas tunc iudicare poterò num alicuius supplicij sis reus. Si Regnum titulum in te discutit nolis eo quod nihil subit mali, & ego aliam tuae accusationis causam nescio; ipse dic, cur te ab eis captivum factum arbitris, aliter ex hac caligine emergere non possum.

DEUS meus mira est vis naturalis rationis, quando iste sol à nubibus passionum non involvitur & absconditur. Idcirco oro te, Deus meus, ut quomodo in Pilato primis suis tractatibus in columen eius fulgorem servasti, ita in me & Catholicis cunctis conservare eum digneris, nam Lutherani inter se dissident & disputant inter se an Rationis lumen adhibere debeant, & Calviniani illud plane condemnant. Idcirco oro pro Catholicis qui illud lumen semper retinendum docent, & magis oro. nolo tamen, uti nec ipsi volunt, quod omnia illo lumine solo metiamur, & nolo agi contra ipsum, sed bene supra ipsum. Hoc & te, Deus, velle intelligo.

§. 91. *Respondit Iesus: regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.*

Cum Pilatus iam eo devenisset quaerendo, ut ei mysterium redemptionis humanae esset aperiendum: dicendo, nihil mali feci, ob quod me Iudaei tibi tradiderint, sed livor & invidia eorum accensa sunt contra me, & ego innocens moriar per eos immolandum &c. Prudenter Dominus egerit ad primo factam Pilati quaestionem respondere nempe de regno & titulo regis. Cur autem hoc Dominus egerit optimae causae dari possunt, 1. Quia Pilatus suum propositum deseruerat, & ad hoc Dominus eum reducit. 2. Tenebatur ei inculcare invidiam Iudaeorum contra se, quam satis noverat. 3. Dabat exemplum optimum nobis eo facto, non calumniando vicissim eos qui nos calumniantur, neque reaccusandi. 4. Mysterium redemptionis humanae non tenebatur ante tempus aperire gentili, qui id-